



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

VII. De cohabitatione clericorum & mulierum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

filiarum, aut nepotum recte descendentium, siue legitimi, siue illegitimi fuerint, audeat interesse: alioquin si clericus beneficiatus fuerit, ipso facto medietate fructuum beneficii vel beneficiorum suorum, illo anno quo talibus sponsalibus, baptismo aut nuptiis interfuerit, sit priuatus, prædicta medietate fructuum in vsum fabricæ ecclesiæ conuertenda. Si vero clericus non beneficiatus fuerit, vsque ad annum eo ipso sit inhabilis ad beneficium obtinendum. Qui vero de bonis ecclesiasticis, filiis aut nepotibus supradictis dotem aut donationem propter nuptias assignauerit, assignatio ipso iure non valeat, & nihilo minus assignans ipso facto in pœnam subtractionis beneficii incidat supradictam. Idem in religiosis, in militaribus exemptis penitus obseruetur. Prælati vero prædicti, qui præmissa vel aliquod præmissorum commiserint, per sex menses a collatione beneficiorum suspensi sint, & beneficia quæ medio tempore vacauerint, per eum ad quem collatio de iure vel consuetudine deuoluitur, conferantur.

ANNO
CHRISTI
1522.

VII.

Quia clericorum nonnulli famæ suæ prodigi & salutis, in concubinato publico vitam ducunt enormiter dissolutam: Nos talium vitam corrigere, eorumque abolere infamiam cupientes, monemus omnes & singulos clericos, etiam si sint in dignitatibus, personatibus, aut officiis constituti, vt ipsorum nullus concubinam publice in domo propria vel aliena audeat detinere, sacro approbante Concilio statuentes, quod quicumque clerici post

ANNO
CHRISTI
1522.

duos menses a publicatione constitutionis & monitione huiusmodi in suis ecclesiis per archiepiscopos & episcopos, vel eorum vicarios in Synodis faciendis, concubinam seu concubinas modo prædicto detinuerint, vel dimissam seu dimissas, aut aliam seu alias admiserint, si beneficiati existant, tertia parte fructuum beneficiorum omnium quæ pro illo obtinuerint tempore, ipso facto penitus sint priuati. Si vero per alios duos menses, duos immediate prædictos sequentes, in eodem crimine continuauerint vitam fœdam, alia tertia parte fructuum nouerint se priuatos. Quod si forsan Dei timore contempto, per alios duos menses quatuor prædictos immediate sequentes in peccato perstiterint memorato, reliqua tertia parte fructuum ipsos priuamus, omnino sub pœna excommunicationis præcipientes eisdem, quod ad aliquam partem dictorum fructuum, postquam ipsa vel ipsis, vt prædicitur, priuati fuerint, manus temerarias aliquatenus non extendant. Et si forsan contrarium tentarent, sub interminatione extremi iudicii, prælatis eorum tam diœcesanis quam aliis districtè præcipimus, quod ad restituendum totum quod de prædictis tertiis fructuum, seu ipsarum aliqua, postquam modo præfato priuati existerent, occupauerint, seu detinuerint vel consumpserint, per censuram ecclesiasticam ipsos compellere non omittant. Antediçtæ vero partes fructuum, & ipsarum quælibet, in cathedralibus & collegiatis ecclesiis, quod ad bona quæ de communi mensa fuerint, ad communem mensam capituli; alia vero re-

demptioni captiuorum communiter applicentur. In parochialibus vero medietatem fabricæ ecclesiæ ipsius, aliam vero redemptioni captiuorum detentorum ab infidelibus applicamus, volentes & mandantes, quod per manus prælatorum suorum, quibus, quod prædictas partes fructuum recipiant & exigant, committimus & præcipimus, quidquid ex dictis fructibus prouenerit, in prædictis vsibus fideliter expendatur. Quod si forte nec adhuc ad cor redierint, sed præsens nostrum contemnentibus mandatum, se ostenderint tam execrandæ turpitudinis amatores, suis prælatis prædictis, & ipsorum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, & sub animarum suarum periculo districtè præcipimus & mandamus, quod infra quatuor menses a supradictis sex mensibus numerandos, transgressores prædictos qui concubinas præfatas non omnino dimiserint, easdem non admissuri vltius, nec aliam aliquam, seu aliquas amplius recepturi, omnino beneficiis suis priuent, ipsosque in limo peccatorum tam fixos, donec se correxerint, & postea per quinque menses inhabiles esse denuntient ad superiores ordines, & ad quæcumque beneficia ecclesiastica obtinenda. Volumus etiam quod si quis de prædictis, postquam beneficio seu beneficiis priuatus fuerit modo prædicto, manus rapaces extenderit ad dictorum beneficiorum fructus, seu ad aliquam eorum partem, incurrat excommunicationis sententiam ipso facto, a qua non possit absolui, nisi de sic occupatis restitutione integra, & beneficiorum quibus priuati essent, vt

ANNO
CHRISTI
1522.

prædicatur, dimissione plenaria prius factis. Verum quia peccata inulta non vult dimitti Dominus vltionum: statuimus, dicto approbante Concilio, quod clerici non beneficiati tam sacerdotes quam diaconi vel subdiaconi, aut inferiores clerici non promoti, qui non erubescunt concubinas publice detinere, si sacerdos fuerit, capellaniam perpetuam aut temporalem tenere vel habere non possit, & vsque ad vnum annum postquam se a prædicto peccato plene correxerit, ad obtinendum ecclesiasticum beneficium sit inhabilis & indignus. Diaconi & subdiaconi, ac inferiores clerici vsque ad annum post correctionem iam dictam sint ad superiores ordines inhabiles, & ad quæcumque ecclesiastica beneficia obtinenda. Si vero adhuc incorrigibiles persistierint, procedatur per alia iuris remedia contra ipsos. Et quia maiori culpæ iusto Dei iudicio maior debetur & pœna, statuimus quod quicumque in tam profundum peccatorum deuenerit, quod publice concubinam seu concubinas detineat infideles, si beneficiati fuerint, post duos menses memoratos a die publicationis prædictæ in ecclesiis, vt prædicatur, faciendæ, ipso facto priuati sint beneficiis obtentis, cuiuscumque conditionis beneficia ipsa existant, & ipso facto reddantur inhabiles ad quæcumque beneficia obtinenda. Si vero beneficiati non fuerint, ad suscipiendos sacros ordines, & ad obtinenda beneficia penitus sint inhabiles & indigni, ac tam beneficiati quam non beneficiati, qui eas sic detinere præsumserint, per suos prælatos per biennium ad mi-

nus in carcere detrudantur: quibus etiam per diœcesanos, seu alios dictorum clericorum prælatos pœnæ graues aliæ, prout eorum discretioni videbitur, imponantur. Si tamen hi clerici ad cor redeunt vere pœnituerint de peccato, & ad vitam honestam continuauerint, concedimus quod ipsorum diœcesani cum eis post quinquennium numerandum a sua correctione dumtaxat possint, quo ad ordines & simplicia beneficia obtinenda, misericorditer dispensare. Volumus insuper & mandamus, quatenus prælati omnes & singuli in suis diœcesibus per viros probos & timentes Deum diligentem inquisitionem, quoties expedire viderint, facere non omittant, qui, quot, quales, & vbi fuerint præmissa crimina tam contagiosa & detestabilia committentes, atque ad pœnas suprapositas in ipsos exequendas insurgant viriliter, vt domus Dei strenui zelatores: concubinæ vero publicæ clericorum careant ecclesiastica sepultura.

Sicut iure diuino & humano iustum dignoscitur, quod iuxta mensuram delicti culpabiles puniantur: ita pium & sanctum est, quod rigori detrahatur iustitiæ, vt occurratur insurgentibus periculis animarum. Hoc sane felicis recordationis Alexander papa IV. pii more patris considerans suspensionis & excommunicationis pœnas, quas recolendæ memoriæ dominus Ioannes episcopus Sabinensis apostolicæ sedis legatus contra clericos concubenarios publicos, ac concubinas eorum per suum statutum vel constitutiones tulerat, voluit & commisit prælatis aliquibus, quod pœnas prædi-

ctas

ANNO
CHRISTI
1322.

ctas, maxime propter irregularitatum quæ ex hoc sæpius sequebantur periculum, in pœnas alias rationabiles permutarent. Quia igitur per aliam constitutionem nostram, sacro approbante Concilio, per condignam inflictionem pœnarum contra delinquentes huiusmodi prouidimus, congruenter dicto approbante Concilio statuimus, quod antedicti legati constitutiones prædictas, quod ad suspensionis & excommunicationis pœnas, non ligent de cetero, nec habeant quo ad istud alicuius roboris firmitatem. Prælati & omnibus nostræ legationis, quod absoluere possint a prædictis suspensionis & excommunicationis sententiis omnes & singulos suæ iurisdictioni subiectos, quas propter præmissa incurrerent, eisdem præsentis virtute statuti plenam concedimus potestatem.

Non solum hi qui peccant, sed qui ad peccandum inducunt, pœna debita plectendi sunt, diuinæ legis iudicio pariter & humanæ. Quia vero nonnulli laicorum clericos compellunt in sacris præcipue ordinibus constitutos, vt aliquas mulieres concubinas recipiant, & cum eis in contubernio publice uiuant contra decorem ordinis clericalis, & sacrorum Canonum instituta: nos iniquitatem huiusmodi detestantes, excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subiacere quemlibet, cuiuscumque status aut conditionis existat, nec non vniuersitatem, seu communitatem quamlibet sententiæ interdicti, quæ personam quamuis ecclesiasticam duxerit compellendam ad recipiendum in concubinam mulierem quamcumque,

Sententias vero prædictas in Synodis episcopali-
bus & frequenter in ecclesiis parochialibus volu-
mus & præcipimus publicari.

ANNO
CHRISTI
1322.

VIII.

Canonici & ecclesiarum focii suis episcopis
personaliter assistentes, non debent absentes ab
ecclesia reputari: ideoque iure prouisum est ne
eis, dum in seruitio episcoporum fuerint, bene-
ficiorum sacrorum redditus subtrahantur. Pro-
pterea statuimus, vt nullus a præbendarum sua-
rum perceptione eos audeat impedire. Capitula
vero quæ hoc adimplere renuerint, ad obseruan-
tiam iuris illius per suos prælatos districtius com-
pellantur.

IX.

Cum secundum statuta Canonum vna eccle-
sia vnus debeat esse rectoris, nec beneficia ec-
clesiarum debeant diuidi in plures partes, nisi
adeo ipsarum ecclesiarum facultates abundant,
quod de eis sufficienter possit pluribus seruito-
ribus prouideri: volentes diuisiones beneficiorum,
quæ plerumque sine rationabili causa fiunt, iuris
auxilio refrenare, statuimus vt in qualibet eccle-
sia vni cura ipsius ecclesiæ principaliter per eum,
ad quem de iure pertinet, committatur, cui per
prouidentiam prælati taliter prouideatur, quod
redditibus ecclesiæ possit honeste viuere, & one-
ra curæ & alia incumbentia supportare. In eccle-
siis autem, in quibus beneficia indebite sunt diui-
sa, cum pluribus clericis ipsarum ecclesiarum nec
sufficiant facultates, quando portiones huiusmodi